



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

3. An si quis percuteret clericum pugno, vel baculo vno, vel altero ictu, incurrat in censuram canonis Si quis suadente Diabolo? Et quænam paruitas materiæ excuset ab incursione huius censuræ pro ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Quis verò excusetur ab incursione hujus censuræ, dico, quod quoties ex circumstantia personæ percussæ, vel ex modo percussione, percussio non censetur graviter injuriosa clericali statui; locus huic censuræ non est. Ob circumstantiam personæ excusat Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. casu 2. §. Cum verò, pueros Clericos rixantes, & se invicem percutientes pugno, etiam in templo, ita ut sanguis e naribus eliciatur, quia plerumque hæc injuria inter ipsos levis censetur, tamen aliquando gravis esse solet, argum. cap. ult. de sent. excomm. quod ex circumstantiis colligendum est, ut bene advertit Coninch disp. 14. dub. 1 §. n. 190. Layman lib. 1. Summ. tr. 5. p. 2. cap. 5. n. 8. vers. Altera. Molina tract. 3. disp. 51. in fine. Ex modo percussione excusantur ab hac censura, primò, qui ex subita passione, animo non plenè advertente, vel à fortiori, causa joci, & ludi Clericum percutiunt: nam esto percussio aliàs gravis esset, modus quo contingit gravitatem diminuit, ne culpam mortalem attingat, néve censuram contrahat, argum. cap. 1. de sent. excomm. & docet Suarez disp. 22. sect. 1. n. 50. Molina tr. 3. disp. 51. n. 7. & 8. Coninch disp. 14. dub. 1 §. n. 190. Bonacina disp. 2. de cens. practico. q. 3. punct. 6. sect. 4. n. 3. Layman lib. 1. Summ. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. & alij. Secundò, excusantur ignorantēs probabiliter Clericum esse quem percutiunt, quia hæc excommunicatio non propter percussione in iustam; sed propter percussione sacrilegam, statui clericali injuriosam, statuitur: at stante ignorantia probabiliter Clericatus, cessat injuria ut, ut manifestè colligitur ex cap. Si vero el. 2. de sent. excomm. ubi excusatur ab excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis: quia probabiliter existimare poterat percussor Clericum non esse, ut multis relatis docet Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 41. quod ad eò verum est, ut, esto, sic Clericum ignoranter percutientes darent operam rei illicitæ, nullatenus in hanc censuram incurrerent; qui comparatione status clericalis immunes à culpa sunt: ut bene tradit Navarrus c. 27. n. 80. Covarruvias cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 16. Molina disp. 53. n. 1. quimò, esto, animum habent percutiendi Clericum: si tamen probabiliter ignorabant Clericum esse, quem percutiunt, ab hac excommunicatione liberantur, (quidquid in contrarium dicat Covarruvias disto §. 10. n. 15.) quia non ob parvum effectum hæc injungitur excommunicatio, sed ob externam sacrilegam manuum injectionem. Vt notavit Molina dista disp. 53. n. 2. & 3. Suarez disp. 22. sect. 1. n. 54. Coninch dub. 1 §. n. 197. quod si Joannem Clericum credas te percutere; at percutis Paulum Clericum: excommunicatione innodaris: quia hæc non imponitur ob percussione hujus vel illius, sed ob Clerici voluntariam percussione. At eo casu Clericum percusit voluntariè, cum percussus habitum, & tonsuram clericalem gesserit, & verè Clericus sit: tamen non sit is Clericus, quem tu percutere intendebas. Secus esset, si Paulus percussus nullatenus se Clericum repræsentaret: eò quod in habitu laicali incedebat, quo Ioannes Clericus utebatur: quia ea actio exterior non est voluntariè sacrilega, & clericali statui injuriosa: quippe invincibiliter ignotas Clericum esse, quem percusisti, casu, & quod Ioannes non sit, quem percutere intendebas. Vt rectè tradit Molina disp. 53. n. 2. Layman lib. 1. Summ. tr. 5. part. 2. c. 5. n. 8. Coninch disp. 14. dub. 1 §. in fine. Suarez disp. 22. sect. 1. n. 54. Et hæc sufficiat generaliter dixisse. Vnde ad casus particulares deveniamus.

RESOL. II.

An in percussione Clerici detur parvitas materiæ ad ex-

cusandam excommunicationem, licet facta fuerit injuriosius pravo animo, & mortaliter peccaminosa? Idem dicendum est de quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum est tantum veniale, & leve, licet internum fuerit mortale. Ex part. 5. tr. 5. Ref. 65.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum Porcel in dubio Regular. ver. excommunicatio, n. 11. ubique ait. Percussit quis Clericum pravo animo; ita ut ex parte operis percussio fuit levis, & venialis, an ob tantam percussione incurratur excommunicatio? & respondet negativè, & addit hoc idem dicendum esse, quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum fuit tantum veniale, & leve, licet internum fuerit mortale: & ratio est, quia Ecclesia non excommunicat actus externos, sed externos, & requiritur ut actus externus sit de se gravis. Ita Porcel, qui citat pro hac sententia Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. c. 8. n. 7.

RESOL. III.

An si quis percuteret Clericum pugno, vel baculo non, vel altero idem, incurrat in censuram Canonis, si quis ludente Diabolo? Et quam parvitas materiæ excuset ab incurfione hujus censuræ pro percussione Clerici? Et docetur, quod si aliquis pugno percuteret Clericum in Schola publica, ista levis percussio ratione loci efficitur gravis, & ideo talis percussio in hoc casu non posset absolvi ab Episcopo, sed accedere debet ad Sedem Apostolicam. Et cursum alij diverfij casus adducuntur pro percussione Clerici tangente injuriosè illum spue, aqua, pio, guttore; vel si quis eriperet de manu Clerici violenter scripturam, librum, vel ejiceret de capite ejus virrum, aut tangit pectus, vel tunicam, &c. Ex part. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 38. alias 36.

§. 1. **N**egativè respondet Marcus Vidal, in Area Theologia Moralis, tit. de Censuris, inquisit. 5. num. 3. & seqq. ubi firmat hanc conclusionem, ut quilibet Confessarius etiam non privilegiatus, possit in Conscientiæ foro absolvere Clerici Percussorem, quando percussio est levis ex seipsa, etiam consideratis circumstantiis omnibus, quamvis aliàs ex prava intentione percutientis, sit peccatum mortale. Probatur; quia datur parvitas materiæ excusans ab Excommunicatione in Clerici percussione. Etiam si habetur prava intentio: ergò habetur hæc parvitas materiæ, quando percussio est levis; & inferat tantum parvum nocumentum, sicuti id verificatur in furto & in quolibet alio opere admittente parvitatem materiæ: ergo quando percussio est levis secundum se nunquam incurratur Excommunicatio. Ideo qui percutit Clericum cum baculo leviter, palma, pugno, uno, vel altero idem, & his similibus, quamvis effectus odij, & pravo animo, non incurrat Excommunicationem Canonis, si quis, nam hujusmodi percussiones censentur secundum se leves, cum non inferant gravem injuriam, neque grave nocumentum.

2. Sed obijciunt: Percussio Clerici baculo, palma, pugno, arundine, & hujusmodi non dicitur levis, quia fit sine mortali peccato, sed respectu enormis levis censetur: ergo cum hæc percussio, etiam quoad externam actionem sit culpa mortalis, sequitur quod per illam contrahitur excommunicatio Canonis si quis, ac ideo non potest absolvi à quolibet Confessario: igitur facta Conclusio.

conclusio. Respondetur, quod talis percussio, quamvis sit coniuncta cum peccato mortali, ratione prave intentionis percussantis, non ex hoc valet inferre, quod ipsa, vt talis habeat malitiam mortalis culpæ, cum inferat tantum leuem injuriam, & paruum nocumentum, idcirco erit semper venialis, & per consequens non incurritur excommunicatio. Canonis quæ ex suo esse quidditativo exigit lethalem culpam in exteriori actione, non tantum per solam relationem ad actum internum: ergo ruit argumentum.

3. Dices per Extravagantem, quæ incipit, *Percussio* declaratur, quod illa dicitur percussio levis, propter quam incurritur excommunicatio, quæ fit pugno, palma, manu, baculo, aut lapide. Ergo falsum affirmatur quando dicitur, quod propter percussione cum baculo, pugno, manu, & similibus, uno vel altero ictu, non contrahatur excommunicatio, ex eo quod illa percussio non attingit quoad actionem exteriorem malitiam peccati mortalis. Ergo, Respondetur, negando consequentiam: nam quamvis percussio facta pugno, manu, baculo, & similibus, ob multiplicatos ictus cum gravi damno, & injuria circa corpus patientis attingat in tali casu malitiam lethalem culpæ, & idcirco per illam incurritur excommunicatio, vt optimè declaratur per citatam *Extravagantem*, attamen non ex hoc valet inferre, quod aliquando, & etiam vt plurimum non sit tantum culpa venialis quoad actionem externam: dum per illam inferatur tantum levis injuria, & modicum nocumentum, nempe quando uno, vel altero ictu percussit Clericus, sine tamen sigillatione carnis, sine effractione dentium, & sine effusione multi sanguinis, non à manibus, sed aliunde. Hæc, & multa alia Vidal, ubi *supra*.

4. Sed propterea ad Dubium propositum affirmativè respondendum esse puto: nam ad incurrendam hanc censuram, non solum sufficit, vt percussio corporis talis sit, vt Clericum graviter lædat, sed sufficit etiam vt actio violenta personam Clerici levisimè attingat, tamen secundum moralem existimationem virorum prudentum, sufficiens sit ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam debitam tali personæ. Et ita docet ex Suarez, Filliucio, & Bonacina, Paulus Squillante de *Privilegiis Clericorum*, cap. 6. dub. 3. num. 14. quibus adde Casttrum Palaum, tom. 6. disp. 3. punct. 13. num. 2. Alphonsus de Leone, de *Censuris*, Recollect. 3. num. 165.

5. Itaque, licet aliquæ violentiæ Clericis illata, graves non essent comparatione corporis, attamen graves, atque mortales sunt comparatione honoris, qui contumeliosè læditur, sicuti notavit Innocentius III. in cap. *nuper*, de *sent. excomm.* & consentit Imperator in *leg. Item apud Labeonem*, ff. de *Injuriis*, quod præter Doctores citatos observat Layman, in *Theol. Moral.* lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 5. & Avila, de *Censuris*, part. 2. cap. 5. disp. 2. dub. 12. concl. 2. ubi asserit, aliquem incidere in Censuram, si insigit alamp Clerico, vel percussit baculo.

6. Nota contra Patrem Vidal, quod non dixit, Alapas, sed Alapam, & non dixit, qui percussit Clericum baculo læpius, sed simpliciter, qui percussit Clericum baculo: & ita communiter loquuntur omnes alij Doctores. Vnde ex his Pater Naldus in *Summa*, verb. *Clericum*, num. 39. Bordonus in *Consiliis Regular.* tom. 1. resol. 28. quæst. 17. num. 44. Riccius in *Collectaneis part. 4. Collect. 244.* observant, colaphum impingere Clerico, inducere quidem Censuram, sed esse percussione levem absolvendam ab Episcopo; & vt tradit Bordonus in *Miscellaneis*, decis. 30. si aliquis pugno percuteret Clericum, vt in Schola publica

Tom. V.

ista levis percussio, ratione loci efficeretur gravis, & idcirco talis percussor in hoc casu non posset absolvi ab Episcopo, sed accedere deberet ad Sedem Apostolicam. Et quidem Grassius in *Consiliis*, tom. 2. consil. 1. de *excomm.* & alij, de quodam Rustico qui baculo minatus fuit Sacerdotem Religiosum erga ejus oculos illum invehens & tangens, non tamen percussit, probant in excommunicationem incidisse. Quid quæso isti Doctores dicerent de opinione Patris Vidal, qui excusat ab Excommunicatione non injuriosè tantum manu tangentem Clericum, sed ipsum pugno, & baculo his percussentem. Et quidem Alphonsus de Leone *Recollect. 5. de Censuris*, n. 147. & alij docent, illum qui manus admoveat circa pectus Religiosi, & tunicam ejus comprehendendo dixit, nisi esses Religiosus, &c. incidisse in Censuram. Idem asserit Gipsius, de *Censuris reservatis*, cap. 3. n. 60. de 9 § 1 a lin. 2. illo, qui eripit de manu Clerici aliquid violentè, vt Librum, Scripturam, &c. Idem tenet Bordonus in *Miscellaneis*, decis. 440. de illo quod Biretum de capite Clerici eiecit; Sylvester, *verb. excommunicatio* 6. mæ anno. & n. 3. & alij communiter firmant, de illo, qui non instrumento aliquo, sed tantum spuro, aqua, oleo, pulvere tangeret Clericum, Iudica tu modò amice Lector, si in supradictis casibus quis excommunicatio- nis vinculo innodatur, quanto magis dicendum est innodari in nostro casu, in quo Clericus reciperet in faciem, vel supra dorsum unum & alterum pugnum, colaphum, aut ictum baculi.

7. Itaque apertè apparet contra Patrem Vidal, non solum duas, sed etiam unam percussione Clerici, cum pugno, vel baculo inducere in percussentem excommunicationem, cum apud omnes viros prudentes, talis percussio, licet non sit gravis, in ordine ad læsionem corporis, tamen est gravis, & mortalis comparatione honoris. Vnde patet responsio ad ea; quæ pro sua firmanda sententia adducit Vidal, & ad id quod me citato asserit; dari parvitatem materiæ in excommunicatione contra percussentes Clericos, respondeo, hanc doctrinam esse veram, sed malè applicatam in casu nostro; & idcirco, nullus vt credo, nisi Pater Vidal, si haberet duos pugnos in faciem, vel duas baculi percussiones in dorso, vel super caput, exstimeret se injuriosè quoad honorem fuisse parum læsum. Ergo, &c.

8. Sed si quis quæreret, quanam parvitas materiæ excusaret ab incurssione hujus Censuræ: Respondeo individualiter pro nostro casu, esse illam, quam adducit Barbosa in *Allegatione juris pro Fisco in causa Vgentina incursionis Censuræ*, n. 38. videlicet, si quis manu tantum repelleret Clericum; nam talis percussio arbitrio hominum prudentum censetur levis in ordine ad læsionem honoris; secus autem, vt vult Pater Vidal, si duobus pugnis, vel duobus ictibus baculo Clericum percuteret.

RESOL. IV.

Quandam percussio Clerici dicatur levis, gravis, & enormis? Ex p. 9. tract. 4. Resol. 45.

§. 1. **R**espondeo, quod erit levis percussio, quæ respectu percussorum mortiferarum, nec est enormis, nec mediocris. Et quamvis Navarrus in *Manuali*, cap. 27. n. 91. innuat, levem percussione esse, quæ fit pugno, id est, palma, baculo, vel lapide; & ubi nullum membrum secatur, aut dens evellitur, nec multum sanguinis effunditur: nihilominus hoc non semper est verum, nec circa hoc dari potest certa regula

Sup. his di-
versis seque-
ntibus in hoc
§. inf. in ref.
de 9 § 1 a lin. 2.
usque in fin.
dicti §. & in
alia ref. &
vers. ejus pri-
mæ anno. &
in ref. 3. §. 5.
1. & sup. in
ref. 1. §. 2.
ante med. a
vers. At si
quis ulque
ad vers. Et
quo etiam.